

referuatos, in quibus nō est annexa excommunicatio, & tunc si non habet copiam confessoris, aut nō communicare, potest fieri citra scandalum, aut cum scādalo. In primo casu potest à communione cessare; fatius enim est abstinere à cōmunionē, etiam occurrētē tempore pręcepti, quā communicare. Nam tunc si non potest facile haberi copia pręlati, vt quia est absens, vel faciliter haberi nō potest, nullum erit peccatum non communicare, vel si potest haberi, forsitan minus peccatum erit transgressio pręcepti audiendi missam die festo, vel communicandi in Paschate, quā ad sacramentum accedere cum tali peccato, maxime quia plerunq̄ non est legitima contritio illa, quę citra sacramentum habetur.

12 † Sed si communio fieret ad euitandum graue scandalum à religioso, vel illo, qui habet casum referuatum Episcopo, vel pręlato, & Episcopus, vel pręlatus esset absens, vel non ita de facili adiri posset, regulariter Eucharistiam sumere potest cum timore, & tremore, cum proposito, quāmp̄imum graue felinandi ad superiorem: modo hęc regula prudētissimis moderaminibus sit perstricta. Et primū omnium requiritur legitima contritio, vt homo sit certus non esse in peccato, quam probabiliter ille se habere credere potest, qui ex animo detestatur peccatū super omne detestabile, & proponit vitare super omne vitabile, cum proposito confitendi; Nauar. cap. 21. nu. 47. in fi. Secundo præmissa integra confessione apud inferiorem sacerdotem: sic enim est vsus Ecclesię, idemq̄ ab omnibus obseruandus, cuius consilio vtatur, pollicitus illico bona fide superioris absolutionem procurare: hoc verò non nisi semel permittendum: nam si cui semel Eucharistia sine absolutione superioris concessa est, id iterum permitteretur, offerretur ei ansa nūquam absolutionem procurandi, Sotus dist. 12. q. 1. artic. 4. pen. colum. & dist. 18. q. 2. art. 5. col. 17. Tertio intelligitur, vt certo sciat scādalum oriturum: Non enim potest aliquis

pro libito scandali suspensionem fingere.

13 Verum si † casus haberet annexā excommunicationem dubitatur, an quis possit sacramenta facere absque absolutione: v. g. est sacerdos, qui occultissimē occidit aliquem, & probabiliter est certum creditum, & infamatur iri eum illud fecisse nisi celebret; vel est excommunicatus occultissimē in eodem periculo infamię positus, se fecisse aliquod delictum sub tali censura vetitum, si nō celebraret, vel est monialis, qua occultissimē incidit in aliquam censuram Papalem: an ante moram petendi absolutionem possit cōmunicare, quando alię ad id tenētur, & interesse choro, & alijs, à quibus si abstineret, fama eius, & modesti periclitaretur. † Breuiter respōdeo taliter excommunicatis nullo modo licere sacrum facere, aut communicare antequam absoluantur, etiam si cōfiterentur inferiori: quia inferior neque à tunc non referuatis absolueri posset: cum excommunicatus non sit particeps sacramentorum, quamuis faciāt ad cauendum graue scandalum, & proditionem ipsorum; vnde qui irretiti sunt culpa Pontifici referuata: quia omnes huiusmodi annexam habent excommunicationem, caueant, antequam absoluantur, communicare, vel celebrare, ita Sotus dist. 12. q. 1. art. 4. col. pen. quamuis sit sibi contrarius in dist. 18. quęst. 2. art. 5. col. 17. Couar. in cap. alma mater, prima par. §. 2. col. pen. & si. de sentent. excom. lib. 6. Nec obstat dictum † Nauar. cap. 27. nu. 239. afferentis in huiusmodi casibus licere sacrum facere, vt in primo, & secūdo casu, vel communicare, vt in tertio. Cuius ratio est: quia lex naturalis, & diuina de defendēda sua fama præstat legi humanę: de abstinendo à sacro in irregularitate, quę quidem est de iure positiuo, vt cōcludit Couar. in clem. si furiosus. num. 3. de homic. nam eius dictum procedit tantum in primo casu in eo, qui post debitam contritionem, & confessionem, sed ante dispensationem ab irregularitate contracta respectu homicidij,